Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oracvla Magica Zoroastris

Opsopäus, Johannes

Parisiis, M.D.XCIX.

Magica zoroastri oracvla, Plethonis commentariis enarrata

urn:nbn:de:bsz:31-248481

Visual Library

MAGICA ZOROASTRI ORACVLA, PLETHONIS *commentarijs enarrata.*

IACOBO MARTHANO Pictauiensi interprete.

Candido lectori S.

Libellum Zoroastri, Plethonisq; in eum commentarium, scriptoris Theodori Gazæ æuo clarissimi, cuius mentionem quoque faciat Theodorus lib. περὶ τῶν μίλων, quum vertissem, Conradique adeo Neobarij viri elegantium litterarum peritia visenda præditi, meique item longe cupientissimi precibus extentis adductus edidissem: obnixe te rogandum candide lector existimaui, vt hoc meum interpretamentum eo candore appenderes, quo mihi cusum est & editum. Nam adeo non hinc vllam laudem aucupor, vt belle mecum decisum iri credam, si non omnino supprimendum circumducendumve hoc fuisse videbitur. Vale.

Perquire

Perquire animæ ductum, vnde, quove ordine,
Nauata corpori opera, ad ordinem vnde manasti,
Rursus erigaris, opere verbis sacrosanctis adiuncto.
Ne deorsum nuas, præcipitium in terra substernitur,
E loco trahēs septem meatibus prædito, infra quem grauis
Necessitatis solium est.
Tuum vas feræ terræ habitabunt.
Ne fatum auxeris:
Neque enim a paterno principio imperfectum quicquam
At vero non admittit eius vota mens paterna, (versatur.
Quoad dum exierit obliuionem, atque verbū promptserit,
Memoriæ infigens sacram patris tesseram. (splendores,
Adspirandum tibi properādumque est ad lumen & patris
Vnde immissa tibi est anima, plurima mente circumsepta,
Hos autem terra deplorat adusque posteros,
Expulsores animæ, ac per quos respirare sit integrum, solu-
Læuo in latere cubilis, virtutis fons, (tu sunt faciles.
Intus totus manet, virginitatem minime proijciens.
Anima hominum, Deum quadam tenus in sese cogit,
Mortale nihil complexa: tota diuinitus inebriata est.
In harmonia gloriatur, sub qua corpus vitale sit.
Quoniam anima, cum sit ignis patris lucidus,
Et immortalis permanet, & est vitæ domina.
Eadem mundanorū quoq; sinuū multos numeros possidet.
Quære paradison:
Ne spurces spiritum, remve planam adaugeas.
Est & idolo locus in regione splendida.
Sed nec materiale corpus præcipitio deferes,
Ne exegeris, vti nequid, cū exierit, incōmodi perpetiatur.
Si mētem ignitam erexeris, fluxū alioqui corpus seruabis,
E finibus terræ prosiliunt, minus verum

Signum ostentantes mortali homini, canes.
Natura suaserit dæmonas esse integros,
Ac vitiosæ adeo materiæ germina frugi atque probæ.
Pœnæ mortalium vinctrices.
Primas in te vendicet, immortalis animæ altitudo: oculosque pariter
Omneis sursum versum erige
O naturæ homo præsidentis artificium.
Quod si mihi sæpiuscule dixeris, omnino dictum cernes.
Nam neque cælestis eademque curua moles visitur.
Stellæ nusquam collucent: lunæ lumen conditum est:
Terra non extitit.
Ne naturæ imaginem nuncupaueris, exemplar visile.
Vndiquaque nesciæ doli animæ habenis ignis extentis
Cum spectaris citra formam vllam sacrosanctum ignem
Lucentem, hucque & illuc subsilientem ad vniuersi orbis (altitudinem,
Audi ignis vocem.
Symbola mens paterna animabus inseuit.
Certo scito intelligibile extra mentem esse.
Est intelligibile quod oporteat mentis flore perceptum.
Omnia ab vno igne profecta sunt:
Quippe cum omnia pater absoluerit, mentique tradiderit
Secundæ, quem Primum appellitent nationes hominum.
Quæ a patre mẽtes cõcipiuntur, eædem & ipsæ concipiũt,
Consilijs mutis illicientes ad concipiendum.
Rectores intellectualeis simul & inflexiles mũdus obtinet.
Ipsum sese pater rapuit,
Ac ne in mente quidem intelligentiæ compote, quæ ipsum insequatur, ignem suum inclusit.
Pater non metum, sed suasionem admouet,

COMMEN-

COMMENTARIVS PLETHONIS.

Perquire animæ ductum.] *Zoroastrici magi existimant, quod idem complusculi quoque alij crediderint, animam humanam immortalem quidem illam corruptionisque nesciam, superne allabi mortali huic corpori corruptibilique, velut mercede locatam operam nauaturam, hoc est, aliquantisper suam illi operam præstituram ornando quam bellissime fieri atque exquisitissime possit, officioque item vitæ perfungendo, mox eãdem hinc retro, vnde profecta est, locum capessere. At vero cum plurimæ eo loci animæ sedes adsignatæ sint & descriptæ, vna quidẽ hercle vndiquaque collustrata splendescensque, altera caligine circum vndique suffusa: demum duæ, quæ supra ipsæ memoratis intermediæ nec refulgeant, nec obscuritate caligineve circumfundantur: anima vtique a prima harũ omnium sedium illapsa corpori huic emortuo si operã ipsi gnauam impensamque collocarit: exque officio, cui est obeundo destinata, hanc illi dictitant ex integro vnde profecta est, concedere subuolareque: alioqui nisi probe functa sit officio suo, hinc euolare ad locum deteriorẽ etiamnum & molestiorem, actionibus æqua lance pensitatis, queis in vita incubuerit. Iam primum igitur commoneris oraculo peruestigandi animæ ὀχετῶ, id est, viæ per quam anima tibi superne fluxerit: vnde nimirum quoque vitæ ordine, nauata huic corpori opera, denuo in eundem ordinem, vnde commigrasti, scisciaris, sacrosancto etiam verbo operi agglutinato, iunctoque. Sacrosanctum adeo verbum hic accipe, quod de cultu dijs impendi solito prodatur: opus autem, sacrificium atque ceremonias. vt sit hic verus germanusque sensus, præter sermonem de cultu*

diuis cõsecrato religioneve expromi solitum, sacras quoque ceremonias adscitas oportere ad hãc ipsam animæ subuectionem. Ne deorsum] *Præcipitij vocabulo cognominat lapsum in corruptionem, vitium, & calamitates: vt terram quoque vocat terreum mortaleque corpus. alioquin & terræ cognomento, naturam interituram: ignis vero, diuinam celestemve, ist hæc ipsa oracula fere intelligunt. At vero locum septem meatibus præditum appellant fatum e septem erronibus coagmentatum: sub quo necessitas, premens quidem illa neque non inuariabilis quoque situm nacta sit. Quare monet oraculum vt ne deorsum, id est in corpus morticinum caducumque, propensius incumbas: vt quod fato illi e septem erraticis apto consertoque, vt pleraque certe omnia, obnoxiũ succumbereque adeo comparatum, ijs adscribi commode possit, quæ nostro ipsa arbitratui subducta sunt. & certe infortunatissimus haberi merito quidem tuo possis, si cum eo totus spectaueris, voto fruisci non contingat: præque vi magna necessitatis, cui temetipsum cõstrinxisti, res tibi tuæ peius idemtidem minimeque votis consentanee vertant.* Tuum vas] *Vas animæ tuæ, nimirum caducum hoc corpus vermes iuxta feræq; sunt habitaturæ.* Ne fatum auxeris] *Ne coneris augere fatum tuum, id est, auctius ampliusve reddere, quam quantum tibi constitutum est & præscriptum. nec enim vlla vnquam cura eualuerit id vt effectum exhibeas.* Neque enim a paterno principio] *Nam nec a patris primordijs supremi vtique dei mãcum quicquam inchoatumve proficiscitur, te scilicet ipsum vt possis absoluere. Nam illinc omnia suis affabre numeris expleta indicio eo manare conspectissimũ est, quod ad exquisitissimam illam visendamque cum primis vniuersi naturam enixe tendunt.*

tendunt. At vero non admittit.] *Mens patris, alter vtique Deus animæque item perpetuus opifex, haudquaquã adnuit huius votis, vsque dum excusserit obliuionem, quam merito nexus corporis contraxit, verbaque itidem ediderit conceperitque, memoriam testantia sacrosanctæ patris tesseræ, hoc est, præceptionis elegantißimæ cuiusque rei accurato studio consectandæ, qua idemtidem retractãda anima fictori suo semetipsam approbet.* Adspirandum tibi properandumque est.] *Lumen splendorque patris locus is est animæ, qui collustratus circumfususque splendore habetur. vnde anima plurima quidem illa mente succincta, huc demissa sit. ita vero consentaneum rationi fuerit, ad idem vt lumen denuo nitatur atque properet.* Hos autem terra deplorat.] *Qui ad illud ipsum lumen, vnde anima ipsis corriuata est, nõ omni opere contendere meditantur, hos terra, id est natura interitui obnoxia deplorat, in hoc natos, hanc vt illustrarent & excolerent. Iam vero qui non solum nihil huic ornamenti conciliarunt, sed sibi quoque ipsis notam consciuerunt vitæ per nequitiam transactæ, horum improbitas ad posteros transfunditur, calamitoso ipsos vitæ genere olim distringẽdos.* Expulsores animæ] *Appositæ rationes animæ a flagitijs asserendæ, sunt* εὔλυτοι, *hoc est, subrepente interim obliuione, oblitteratu solutuque faciles.* Læuo in latere cubilis.] *In latere sinistri tui cubilis fons virtutis scaturigoque habetur, id est, potentia intus quidẽ illa condita, cuique nunquam germana sua integritas, id est, natura omnis affectionis exors, eripi possit. nã & immotam nullaque ratione excutiendam virtutis potentiam sortiti sumus, quanquam vsus actionum virtutis desinere potest & interrũpi. Porro potentia sinistro lateri adscripta est,*

quod functiones dextro cõtribuuntur. cubile autem animæ nostræ, locus is esse statuitur, qui affectionib. ipsius eximijs præstabilioribusq; substratus est. Anima hominum] *anima humana deũ ad se quadamtenus ἄγξι, hoc est arctißime sibi deuinctura impliciturq; est, sui videlicet assiduũ vindicẽ & assertorẽ. Sed et eiuscemodi quoq; esse intelligitur, quæ merito quidẽ exquisitæ cũ deo similitudinis nihil (duntaxat ex sese) agnoscat, quod exolescere tandem labefactariq; poßit, vt quæ diuinitᵒ ebria sit, hoc est, diuinis cælestibusq; bonis cumulatißime prædita: quin & adeo nõ pudore suffunditur, quod huic corpusculo innexa conglutinataq; est, vt in ea etiã harmonia, quæ corpori vigorẽ influat, impensius nescio quo pacto insolentiusq; glorietur, & vero magnifice de se sentiat: cuius auspicijs vna cũ mortalibus immortalia vinciantur, ita quidẽ, vt totũ ad concinnã quandã scitãq; cohærentiã adstringatur.* Quoniã] *Potentiã patris intelligẽtiæ cõpotem, ipsum alterũ scilicet deũ ist hæc oracula longe omniũ principẽ cognominant, nimirũ a supremo deo proficiscentem. hac porro parte monemur, illa ipsa patris potentia animã procreatã, eãdemque ignem esse lucidißimum, hoc est, diuinã quandã eßẽtiam, intelligendiq; facultate donatã: ac proinde ipsam exortem interitus permanere, quod substantiã nacta sit diuinitatis participẽ: & præterea suæ ipsius vitæ eandẽ esse dominam, quã obtineat haudquaquã vlla æui diuturnitate consummandã. quandoquidẽ quæ eripi nobis extorqueriq; poßũt, horũ domini merito certe fieri nequit vt existimemur: etiã si fortasse euenire queat, si quæ indidẽ cõmoditas emanet, hãc vt demetere interea poßimus & percipere: At quæ decedere nobis amittiq; nequeũt, ea vero iuris quoq; nostri dominijque fuerint: in vniuersum, anima supplemẽta orbis compluria*

bis compluria possidet, merito quidem suæ ipsius æternitatis, id est, varia plusculaque in orbe loca, ad quæ identidem reuolet expensis ad æquilibrium, pensatisque actionibus, quas dũ vita suppeditauit, absoluerit. Quære paradison] *Id est, locum animæ splendore quoquouersus obseptum.* Ne spurces spiritum] *Pythagoram Platonemque sequuti, animam vt non vndecunque a corpore diremptam haberi, ita nec prorsum inseparabilem substantiam, in hac sunt opinione, vt prædicent. posse vero parte seiungi absoluique, parte non posse: potentia certe posse, re non item. Quin ijdẽ tria fere summa formarum genera constituũt: vnum, quod penitus a materia secernatur, cuiusmodi videlicet mentes illæ, quibus situs supra cœlum situs assignatus est: alterum, quod a materia exolui abiungique non queat: cui quidem ipsi substantia sciscatur, haudquaquam per se subsistens, sed addicta connexaq; materiæ: cũ qua & ipsa solubili scilicet, internitioniq; obstricta, hocce genus animæ pariter emoriatur: atq; hoc genus omne animæ rationis expers esse: Inter ista, mediam locant animã ratione præditã, a mẽtibus quidem ijs quæ supra cœlum collocatæ sunt, eo interstitio diuersam, quod perpetuo implicata materiæ agglutinataque visitur: ab irrationabili porro, quod hæc neutiquam ipsa materiæ cõiungitur, quin vice versa, materia illi ipsi habetur adiuncta, per sese ipsa potentia quidẽ certe subsistens, itẽque impartilis, itidẽ vt mentes illæ supracælestes, quibus etiãnum ipsis cõfines quadamtenus, germanæq; functiones reddantur, sed & eadẽ quoque, quæ rerũ notitiæ cõmentationiq; proxima sit, ad summũ vsque deũ peruadit, atq; eo quidẽ nomine incorruptilis habetur, & animã autem, quæ huiuscemodi esse intelligatur, cum corpore æthereo ceu vehiculo, perpetuo versari: quod illa attactu cõtinuo, ad consortium quoq; immortalitatis adsciscat, inanime quidẽ omnino suapte natura, sed ab anima tamẽ irrationabili sequioreq; animæ genere donatũ: quod ipsum, quũ sapientibus viris idolum*

animæ nũcupetur, imaginãdivi præditũ & sensu, videat, sentiat, demũq; nullo nõ sensu vigeat, præterq; cæteris alijs brutis animæ facultatibus: ita per potißimã hoc genus corporis vim, quam φαντασίαν vocent, animã rationalẽ cum toto hoc corpore iugiter aßidueq; versari. Cæterum animam humanã viuifico partus spiritui copulari, per corpus huiuscemodi merito cognationis cuiusdã implicitũ: alioqui quod spiritus quoque quidã sit: porro aũt dæmonias animas vt nõ ita lato discerniculo ab humanis euariẽt, nobiliores tamẽ, tũ ipsas esse, tũ nobiliorib. quoq; vehiculis fruisci. Ad hoc misceri nullo pacto posse corruptibili naturæ. Iam vero syderũ animas, ipsis quoq; dæmonijs longe præstãtiores, præstantioribus etiã vti vectabulis, quæ corpora sint amplitudine facultatis actiuæ collucẽtia. Quas de anima sententias retro quoque Zoroastrici Magi videntur expreßisse. Commonet igitur oraculum, ne rem planam adaugeas, id est, ne denses: (nam epipedon dicitur, non quia triplici mensu non constet, vt quod corpus esse sit exploratißimum, sed vt summa eius subtilitas exilitasve demonstretur) incremento additamentoque subinde huic moli adijciendo. crassescere quippe spiritum istiusmodi, si ad mortale corpus pronius deuergat. Est & idolo] *Idolum animæ nominat partem eam, quæ cũ rationis expers sit, parti rationis capaci adhærescat. refert autem ei idolo locum quoq; esse in loco illo vsquequaq; splẽdido: neque enim vnquam animam amittere a se addictum sibi condictumq; vehiculum.* Sed nec materiale corpus] *Animæ quisquilias, reiectamentave nominat, corpus caducum occiduũque: cõmonetq; itidẽ, ne ipsum illud neglectim & segniter accuremus, parum commode salubriterque constitutum: sed curam huic mediocrem impensam oportere, ab eo certe, qui pensum etiamdum vitæ exigat, quo nimirum firma ipsi valetudo & integra conseruetur, duntaxat quanta maxima cura diligentiaque præstari poßit, superque cætera omnia dignitati animæ suffragentur*

gentur & quadrent. Ne exegeris] *Ne exegeris animam à corpore, videlicet intercidere fatiscereque natura comparato, vti ne quid cum migrarit, ipsi periculi creetur. Certe quidem illud ipsum aliud nihil merito esse censeas, quam semetipsum humanis rebus exigere præter naturæ præscripta.* Si mentem igneam] *Si mentem igneam ad religionis munia erexeris, caducum istud atque dissipabile corpus, innoxium præstiteris & incolume.* E finibus terræ] *Est, nec raro, quum inter sacrificandum φαντάσματα, hoc est, visa, spectraque nescio quæ, canũ expressa similitudine, specieque itidem alia prodigiose fœda compareant. hoc genus omnia monẽtur e terræ finibus prosilire: id quod assolet, quum terrenum istud corpus iuxta atque abolitioni obnoxium, neque non affectus ipsi congeniti haud dum penitus rationis magisterio compositi sunt & digesti: quorum quidem simulachra visitentur, inania quidem illa, nullãque naturæ solidam subsistentiam præferentia.* Natura suaserit] *Natura, hoc est, naturalis ratio peruicerit, genios, quos dæmonas cognominent, integros esse maximoque opere incorruptos, & adeo omnia quæcunque a deo optimo quidem ipso ex sese proficiscuntur. Sed enim ipsa quoque infœlicis prauæque materiæ germina illiusmodi appositissime censeri queant, quæ inter ea quæ proba frugique sunt, recenseantur. alioquin materiam vilem despicatamque vocant, non substantia adeo, nam qui tandem fieri possit, cuius germina proba laudataque sint, ipsum vt vitiosum esse substantia (duntaxat accommodate) dictitetur? atenim eo nomine improbam materiam appellant, quod nouissima inter substantias corrogatur, parcissimeque omnium rationem boni cooptat: sed ita tamẽ, vt minutissimam quamque materiæ particulam, vitiosam intelligas: alioquin, inquit oraculum, cum vitiosæ etiamnum materiæ, hoc est, substantiæ despicatissimæ germina proba sint, certe summa ratio est, quamobrem huiusmodi esse dæmones itidem*

credantur: & quidem tanto locupletius impensiusque, qui tũ natura sint rationis participe præditi, tum naturæ omni corruptioni obnoxiæ impermixti. Pœnæ] *Pœnæ, siue furiæ, hoc est, dæmones cruciatibus irrogandis præfecti,* ἀγχτειρῳ *mortalium cognominari possint: quippe quos a vitijs deterritos, ad honesti rectiq; cupidinem accendant.* Primas in te vendicet] *In te altitudo profunditasve animæ imperitet, ac oculos pariter vniuersos, id est, vireis cognitiuas sursum versum erige.* O naturæ homo] *Hominem præsidentis naturæ machinamentum coagmentumve nominat, quod arduis semetipsum rebus concredit.* Quod si mihi sæpiuscule] *Si sæpicule mihi dixeris, hoc est, me vocaueris, dictum, me videlicet quem vocasti, vndiquaque conspexeris: quippe aliud nihil quicquam tum tibi temporis cernetur, quam fulmina, hoc est, ignis, huc illuc in orbe subsiliens.* Ne naturæ imaginem nuncupaueris] *Ne gestieris cernere imaginem naturæ, Dei videlicet exemplar ex sese quidem ipsum perspicuum & visile, sed quod sub conspectum humanum situm non sit. Nam quæ sacris operantibus visitantur, vt ignis, fulmina, aut siquid aliud est huiusce generis, ea tute credideris esse symbola, non item dei naturã.* Vndiquaq; nesciæ doli animæ] *Ignis, qui tibi inter sacrificãdum visitatur, habenas vndecunque in te extẽdito, in anima* ἀπλάστῳ, *hoc est, minime varia versatilive mente, atque a vitio quã maxime aliena expurgataque.* Cũ spectaris] *Simul cõspexeris sacrosanctum ignẽ, effigiationisquẽ expertem & formæ: præterque quoquouersus per mundũ iuxta saltuatimq; & desultorie splẽdescentẽ, gratias age, simulq; hilariter & alacriter ignis vocẽ audi, quæ verissimã quandã fixissimãque prænotionẽ præ se ferat.* Symbola mens paterna] *Mens paterna, id est, animæ iugis opifex, notas, id est formarum intelligibilium imagines, animæ inseuit: quibus illa freta, rerum essentias sibi rationesve conciliet.* Certo scito intelligibile] *Existimato res intellectiles*

tellectiles extra mentem tuam actu esse. quanquam enim ab opifice imagines tibi rerũ intelligibiliũ sunt inditæ, id tamen ipsum potentia certe duntaxat factum. Quo fit, vt actu quoque rerum intellectualium ascisenda tibi notitia sit animoque cõsectanda. Est intelligibile] *Id est, supremus deus, qui vnus eximius sit, & antiquissimus habendus, haudquaquam eodem atque alia pacto cõcipitur, verũ mentis flore, id est, singulari potissimaq; mẽtis parte.* Omnia ab vno igne] *Omnia ab vno igne promanarunt.* Quippe cum omnia] *Pater oĩa absoluit, intelligibileis videlicet formas: vt quæ probe expletæ, suisque numeris absolutæ sint, alteriq; a se deo regunda tradidit, vnde fiat, vt si quid ab hoc deductum sit, & ad ipsius aliusve substantiæ intelligibilis exemplar effictum: id a summo illo deo ortum credatur & profectum. quem & ipsum primum haberi gentes statuunt, quæcũque assiduum mundi architectum, quoque nõ alius superior sit, esse rentur.* Quæ a patre mentes] Ιυγας, *intelligibiles formas appellat, quæ tum a patre concipiantur, tum & ipsæ concipiant: adque concipiendi commentandive munia obeunda extimulent, consilijs* ἀφθέγκτοις, *id est immotis. & hoc alioqui loco motum intelligendi, non transgressionem aut cursum, sed ad intellectilia relationem habitumve hoc oraculi accipit. Quare* τὸ ἀφθέγκτοις *intellexeris pro eo quod est immotis. hoc sensu, hæ species immotã minimeque, vt anima, vagum ad intelligibilia responsum obtinent.* Rectores intellectualeis] *Ea quæ in hoc orbe ab immortalibus deducta sunt, mundi rectores intelligentiæ compotes vocat, quorum principem constituat alterum a patre deum. Alioquin quum aiat hoc oraculum, rectores esse mundo inflexileis, dubium non videtur, quin eo spectet, vt ipsi immortalitatem asserat.* Ipsum sese pater rapuit.] *Semetipsum pater a reliquis abiunctum haberi voluit & exemptilem, adeo vt ne in intellectiua quidem facultate altero a se deo ignem*

ſuum, hoc eſt, diuinitatem incluſerit finieritve. Huius autem porro diuinitas a cæteris ipſa rebus exempta eſt: videlicet quoniã ille idem & ortus immunis eſt, & per ſeſe ipſe extat: alioqui nec poßit contingere, hic vt cuiquam adſciſcatur, licet in eo quod a cæteris omnibus contribuitur, multo ipſe lubentißime acquieſcat. nec tamen, quod inuideat, ſeſe admittendum non exhibet, verum eo certe nomine, quod adeo non illud ipſum fieri poßit, vt in antiphaſin, hoc eſt, contradictionem commeet. Pater non metum] *Cum enim eximia quadam inſignique prorſus bonitate præditus ſit, cum eo quod omnibus quoque bonorum eſt autor, nemini vtiq; periculum accerſierit, vnde horrendus eſſe poßit.*

Placita hæc Zoroaſtrica cum frequentes oppidoque clari viri confirmarunt, tum vel maxime Pythagoræ iuxta Platonisq; conſectatores. Quibus & iſtud inter ea quæ Zoroaſtro prodita ſunt (vtique ſi Plutarcho ſubſcribimus) admiſſum ſit & approbatum. Nempe quod tribus res partibus deſignauerit. Altera Horomazen, quem hoc genus oracula primi dei cognomento vocitent. Altera Arimanen, parte nimirum poſtrema, vt media Mithran. Qui deus alter oraculis hiſce dictitetur. Alioquin & in Mithræ vocabulo Perſæ ſolem intelligunt. Sub hæc Horomazen triplicem ſe conſtituiſſe: duplicem autem Mithran, videlicet qui alter ab Horomaze ſit. Quibus & Platonica quoque illa prorſus acceſſerint, in omnibus regem totum eſſe, cuius & ipſius gratia omnia ſint. Quin eundem omnium bonorum cauſam haberi primordialem: demumque ſecundum in ſecundis, tertium in tertijs conſiſtere. Iam rerum vniuerſitatem Zoroaſter Platoque tribus partibus abſoluerunt, vna ſempiterna: altera genita, & nihilo ſecius tamen immortali: tertia, ad obitum corruptelamque tendente. Et Zoroaſtrem quidem eouſque vetuſtum Plutarchus adfirmat, vt annis quingentis bello Troiano priorem fuiſſe teſtatum ſcriptumque memoriæ reliquerit.

NOTÆ